Quaestio QuodLibet. agit.da In Schol. Medic. Die Iouis 4a nouemb.

D. Petro Piiart Moderatore.

Iisne nutrimur quibus constamus?

Ortus rerum caducarum tria sunt principia, materia prima scilicet quae existens cum quantitate indefinita, forma illi inseparabiliter cohaerens, et in ea latens privatio omnis interitus causa: Ex his inprimis constant quatuor Elementa formali potius, quam materiali qualitate a Medico finienda, quae binis qualitatibus praedita, intensis ad agendum munita sunt, Ignis quidem tenuissimus, ulterioris semper provehenti, minime vero deorsum capax, Calore et siccitate. Aer autem pari et homogeneo cum Igne calore et humiditate: aqua frigore (calori non primantium, sed adversorum more contrario) et humore. Terra denique frigore et siccitate. Elementis ordine succedunt mixta, et iisdem actu remanentibus, et sese mutuo agendo, patiendoque; (omne enim agens agendo repatitur) temperantibus coalescentia. Hinc κρᾶσις nulla tamen consequente qualitate, quae reliquas inferiores virtute contineat.

Mixtorum autem quaedam sunt inanima, eaque vel imperfecta cuiusmodi μετέωρα ex halitu duplici terreo scilicet et aqueo vi radiorum Solis (a quo reliqua sydera virtutes occultas absorbentia totum suum lumen minime mutuantur) sursum evecto consurgentia; vel perfecta qualia sunt Metalla, quae vix unquam ab arte fieri, sic nec mutuo inter se commutari, et eadem penes naturam in abditis terrae visceribus a multiplici corporis coelesti compositis substantialis, sicut et corruptionis expertes procreata: alia ἔμψυχα plantas et animalia comprehendentia, ex quibus haec non solum ex Elementis, sed etiam ex quatuor humoribus speciei certis, in hepate venarum origine, simul eodemque calore producta compinguntur: hi sunt sanguis natura frigidus, nec animatus, nec pars corporis, pituita, cholera, et melancholicus succus.

Componitur tertio animalia ex partibus homogeneis, animatis, varii temperamenti perpetuo inter se digladiantibus, ita tamen ut nulla aliam refrigeret. Eae sunt ossa, cartilagines ab his essentialiter non distinctae, vincula, membranae, tendines, nervi, venae, arteriae, caro, cutis, quae et temperaturae subiectum et operarum omnium principium dictum. 4o denique ex heterogeneis quarum praecipuae sunt quatuor caput ad vitam animalis non simpliciter necessarium, continens ipsum cerebrum natura frigidum humidum perpetuo motu agitatum. Thorax cordis membrorum calidissimi, calorisque influentis originis domicilium circumscriptus supra iugulis, infra diaphragmate praecipuo respirationis (quo qui motus voluntarius est) instrumento. ἐπιγάστριον partes nutritioni dicatas complectens: et artus ad quos pedes et brachia referuntur, ex quibus omnibus coalescit corpus, multis praeterea constans formis substantialibus in singulis membris, quod cibi debito praeparatum fuerit, venit animae veluti praecipua forma, quae generatim ab Aristotele recte definita est ἐντελέχεια corporis organici potentia vitam habentis.

Animae vero tres sunt species sibi mutuo in eodem foetu succedentes, posteriore priores expellente, naturalis, sentiens, intelligens duas priores virtute continens. Haec corpus verum tribus regit facultatibus naturali, vitali (si modo dissideam) et animali. Vegetantis praecipua facultas est altrix, omnium prima, auctrice perfectior, quae cum sit unica in toto corpore, in certis partibus certa operans, ad substantiam viventis deperditam, actione caloris naturalis ignis dissitis, ideoque humidum primigenium minime depopulantis restauranda a natura instituta est. Ita ut praecipua eius operatio sit nutritio mutatio substantialis, eaque nova quaedam conversio qua pars aliqua viventis generatur ex substantia cibi. Huic 4or velut administrae parent attractrix, expultrix, retentrix, et concoctrix. Praeter quas nulla apponendi aut assimilandi facultas videtur esse necessaria.

Nutricis itaque facultatis obiectum in viventis substantiam convertendum est alimentum; quod non potest esse aer, nec aqua, nec aliud simplex Elementum: sed substantia mixta, eaque calori nativo analoga, alias si corpus afficiat magis, quam ab eo patiatur futura est medicamentum, non alimentum: quod tamen abest ut caloris abhuat tenuiorum more, ut pote cum augeat, ideoque quotidie sentitur fames appetitus calidi sicci; ore sumendus est, ac in ventriculum tanquam primum receptaculum, ac 1a concoctionis officina traiiciendus, ubi, quae concoctio fit instar elixationis incrassando, non attenuando, praesertim debiles potus, cuius praeterea desiderium videlicet sitim nobis natura sagax ac provida post deglutitum cibum consulens immittere, quam alius est etiam eius usus et opportunitas ad distribuendum nostrum chylum, qui per venas mesaraicas ad hepar defertur ubi fit ἐξαιμάτωσις. Indeque, si quid ad singulas partes diffunditur, ut in eis absolvatur 3a postremaque concoctio: nolim tamen omnes partes solo sanguine, sed ventriculum chylo, ossa medulla in eis contenta, renes seroso, splenem melancholico succo nutriri.

Ergo iisdem nutrimur quibus constamus.

Asserebat Petrus Bequyn Parisinus. 1588.

Domini Doctores disputaturi:

M. Georgius Cornuty.
M. Joannes Le Moyne.
M. Stephanus Du Four Med. Reg.

M. Claudius Boyuin.
M. Philipp. Hardouyn de St Jacques.
M. Joannes Cotterau.

M. Michael Marescot.
M. Philbertus Laudenot.
M. Guillelmus Cappel.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE